Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3313
Quelle:
Copyright:

mini Gallici, Anglici atque Ytalici. Sed tunc per aduentum hujus R. P. et domini ad eosdem labores excitati sunt Germani, qui licet fuissent posteri, fuerunt tamen postea perniciores et magis stabiliti &c. Plures Nostri Orationes commemorat Vir Cl. *Franc. Ant. Zaccaria* in *Serie Epp. Laudens. Mediol.* 1763. p. 303. 4.

XV. *fol.* 122. *Sermo fratris Mathei de Aula Regia ordinis cistercien. Sacre theologie professoris factus Dominica quarta post festum sancte trinitatis in Concilio. Matthaeus* hic *monachus* est, quam *Hussus* jam c. 11. *de Ecclesia* inter Doctores sibi adversantes censuit. An Abbas Coenobii sui, ut *Balbinus Boh. doctae* P. II. p. 160. adserit, incertum. Sermonis ejus initium: *Estote misericordes. Sic originaliter scribitur Luc. VI. c. Sed recitative legitur in presentis dominice ewangelio secundum vsum et ritum ordinis mei cystercien. R. P. ac domini prestantissimi coram tam preclara deo et hominibus grata concione locuturus vereor toto corde* &c. Verum acriter deinceps insurgens Orator rhetoricum hoc schema fuisse docet. Ita de antiquae Ecclesiae Pastoribus: *suam professionem magnificabant non per uestem splendidam, non per supellectilem pretiosam, non per refectionem gulosam, nec per clientelam numerosam, sed per uitam sanctam et doctrinam salutarem. Sed iam proch dolor Jordanus conuersus est retrorsum, planete facti sunt retrogradi, obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, periit sanctus de terra. Moderni namque temporis prelati manum quidem miserunt ad aratrum fidei, sed contra doctrinam christi Luc. IX. respiciunt retro. Archam domini ponentes iuxta dagon I. Reg. C. V. v. 1. spiritualibus carnalia miscentes sunt tanquam promptuaria plena eructantia ex hoc in illud* &c. Mentio Sermonis e nostro *Cod.* habetur in *Notis* ad *Balbin. suprac.* totus vero existit teste *Schelh.* in *Cod. Blavifont. et Krafft.*

XVI. *fol.* 131. *Sermo R. magistri Stephani Palytz de praga Sacre theologie Professoris predicatus in Concilio Constan. Dominica tercia post festum sancte trinitatis Anno &c. M°.* (CCCC) *XVI°.* Initium: *Resistite fortes in fide. scribitur prime petri in fine* &c. Editus ab *Herm. v. d. Hardt* T. I. P. 16. p. 823. et T. XVI. *Concil. Labb.* edit. *Venet. col.* 1359. sed ubique male additus annus 1417.

XVII. *fol.* 146. *Sermo Magistri Mauricij de Praga sacre theologie professoris Dominica septima post festum Pentecostes in Concilio Constancien. predicatus.* Initium: *Attendite a falsis Prophetis. Math. 7. scribitur et in ewangelio hodierno legitur. P. R. propter beniuolenciam, magistri doctissimi propter scientiam, domini metuendissimi propter potenciam in ecclesia militanti, quia iteratum tempus ad loquendum redijt, quo vestra me accendunt studia ex pristina audientia, ut tanto mihi amplius loqui libeat de falsorum prophetarum astucia* &c. Tria pertractat potissimum Orator: *Primum quod ypocrite pro-*